

339  
7

# Matthæi Frigillani

BELLOVACI IN DIVINI

Platonis Dialogum de Philosophia Scholia

*compendiosissima, in gratiam studiosæ*

*iuuentutis, quæ in Platoniam*

*doctrinam introdu-*

*ci expetit.*



P A R I S I I S,

*Ex officina Prigentij Caluarini, ad geminas  
cippas, in clauso Brunello.*

1559.

CVM PRIVILEGIO.

& fingendum dialogorum auctorem per se in se Zenonem Eleaticum affirmat  
quidam / Aristot. in Lib. 1. de poetis & postquam Phaedrum  
Lycamemum Styrium autem Ciceroni per se quidem supponit  
dicit. Sed pro tanto id scribens quod apponit, atque profert

PLATONIS DIALOGUS DE PHILOSOPHIA SCHOLAE



PARISIIS  
EX OFFICINA PIERREY CARPENTIERI, ad fontanem  
S. MICHAELIS, in claustris S. MICHAELIS.  
1775.  
CVM PRIVILEGIO

Matth  
DIS  
L  
Aristotelis L  
in Divinis Pla  
secundum no  
vita indoles  
virtutis ad h  
non est necess  
virtudo, nat  
operantur ur  
igitur post pe  
non misfari  
te donant, s  
Vale: ac no

# Matthæus Frigillanus suo

DISCIPVLO ANTONIO

Guilhen Auenionensi S.

VANTVS amor tibi sit omnium di-  
 sciplinarum, Antoni generosissime, quam li-  
 benter non mansuetiores solum, sed & gra-  
 uissimas Musas exosculeris, satis testantur  
 præclara illa studia, quibus tam libere in  
 Aristotelis Lycio inambulas, & tanta cum voluptate  
 in Diuini Platonis Academia quiescis. Ad quod munus  
 obeundum non aliud te excitauit, quam bona illa & ho-  
 nesta indoles, quæ splendore & pulchritudine Paternæ  
 virtutis ad honestissimam quæque facillime allicitur, de qua  
 non est necesse me quicquam dicere: quando naturalis pul-  
 chritudo, natiuus splendor, & vera virtus omnem fucum  
 aspernantur: neque certè sol alienum lumen requirit. Ut  
 igitur post patrem ac patrum viros sapientissimos, bona-  
 rum musarum sis fautor integerrimus, illæ hoc munusculo  
 te donant, à quibus vt bene spero, longe maiora accipies.  
 Vale: ac me & tua studia, vt soles, ama.

A ij

AD D. IOANNEM LEVASSEUR  
Virum plane Theosophum, & Gymnasii Rhe-  
mensis Gymnasiarchum vigilantissimum,  
Antonij Guilhen Epigramma.

**I**PSE tui (Pan noster) oves saltusque Lycaei  
Nectare felices Ambrosiâque facis:  
Quod per te liceat cantus haurire Frigillæ,  
A cuius Sophia profuât ore melos:  
Quaque feras flectente truces rupesque Lycaei,  
Abdita turba sequens lustret amœna loca:  
Inter Academiae necnon confideat Ulmos,  
Ex quibus æternas sumere possit opes.  
Pro queis sumabunt altaria nostra quotannis,  
Perpetuo & rodent talia dona iecur.

3      341

# IN DIVINI PLATONIS

Amatores Matthæi Frigillani

Præfatio.

**D**E triplici philſophandi ratione, quàm tum ex So-  
cratis & Pythagoreorum doctrina, tum ex fami-  
liari cōſuetudine cū ſacerdotibus Ægyptiis, inter quos  
principem locum obtinuit Hermes ille ter maximus, didi-  
cerat Plato: vt ſui præceptoris, quem ex Apollinis oraculo  
ſapientiſſimum agnoſcebat, planè diuinos ſermones immor-  
talitati conſecraret, ſuſiſſime traditurus, hoc breuiſſimo dia-  
logo, qui tum ad vniuerſam philoſophiam, tum maximè ad  
librū de Republica poteſt eſſe quædam præfatio, eſtque tum  
ad reprehentionē, tum ad doctrinam comparatus. Primum  
voluit docere, quid & quale ſit philoſophari. Ordo progreſſus  
admodum facilis & philoſophicus: primum aliorum ſentē-  
tias examinat & refellit, quem morem penè vbique proba-  
uit Ariſtoteles, deinde multa inductionū varietate, quàm  
13. Metaph. merito Socrati attribuendam cenſet idem Ari-  
ſtoteles, tandem rudiores à falſis opinionibus ad veram phi-  
loſophiæ cognitionem perducit. Rationem inſcriptionis ita  
accipies. Dialogus hic, vt reliqui omnes, duplici inſcriptione  
dona tur: priore à perſona eorum quibuſcum diſputaſſe ſin-  
gitur Socrates: poſteriore à re ſubiecta. Prior non omnibus  
Platonicis eadem placet: quidam enim volunt inſcribi  
ēgaſat, id eſt amatores, quoniam, vt colligere licet ex dia-  
logo, auditores omnes erant amatores, alij vero ἀρετοῖς, id  
eſt emuli, atque hanc poſterioreſ videtur magis probare

A iij

Diogenes Laërtius in vita Platonis, quoniam fingit Plato  
Socratem instituisse primum hanc disputationem cum duo-  
bus æmulis, quorum vnus esset bonarum artium osor, alter  
philosophia amator: quorum æmulationem in ipso dialo-  
go sapius interserit, partim vt varietate animos demulceat,  
partim vt doceat ex contrariis opinionibus eliciendam veri-  
tatem: quo nomine vbique Aristoteles suum dialecticum  
maxime commendat. Cæterum dialogi huius disputatio nõ  
tanquam à presentibus tractatur, sed prius agitata & se-  
rio discussa Socratis familiaribus commemoratur.

DE M  
dioge

Diogenes  
Socratem, qu  
quorum tamen  
vero mixti sunt  
Carbu  
idem exiguus  
mixtus  
cont  
existima  
videntur:  
Solonis &  
philosof  
sub pe  
verum philo  
traculo s  
explicat: A  
in hoc con  
Attamen  
referendus.  
concludit So  
dictionem à ve  
confutur.

EIVSDEM DIALOGI COMPE-  
ndiosius Argumentum.

**C**VM dialogorum Platonis tria sint genera, quidã ad doctrinam, quidam ad reprehensionem comparati, quorum tamen postremus finis est doctrina quedam. Alij verò mixti sint: hic à re subiecta de philosophia inscriptus, àquam Carbunculus, Adamas, aut Hyacinthus mole quidem exiguus, sed bonæ frugis plenissimus, diligentius consideranti mixtus videbitur. Nam priori parte duplicem reprehensionem continet, vnam eorum qui nec philosophari pulchrum existimant, neque philosophiam à garrulitate se iungere videntur: Alteram veterum philosophorum, potissimum Solonis & Hippia: qui non videntur satis intellexisse quid sit philosophari. Posteriore verò de philosophia serio disputans sub persona Socratis (cuius nomine in suis operibus verum philosophum exprimit Plato, quoniam ille Apollinis oraculo sapientissimus habebatur) suam sententiam explicat: Atque ex Delphico oraculo philosophiam maxime in hoc consistere demonstrat, vt quis seipsum agnoscat. Attamen videri potest dialogus ad reprehensionem magis referendus. Quoniam quod initio sibi proposuerat, in fine concludit Socrates, nimirum vtramque philosophiæ definitionem à veteribus traditam rationi & Veritati non consentire.

Cic. Acad. 1. de studiis  
fine / non vult aut  
hoc, vt apud Platonem  
est, maius aut melius  
al. dicit datur *manus* 307

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Matthai E

AMAT

IO

phil

D rhet

logi

nu

ca maxime qu

ca uti: deima

admittendo;

admittati.

MONYSI

quā quo Gran

quā quā quā

quā Socrat en

quā non sol

GRAMM

quā vicorum

quā unere ser

quā post illas,

VNA coru

quā sincera di

quā immicitia

quā omnis ser

quā licium ex

DE An

quā dinaximen

quā mortifera



348

5

# Matthæi Frigillani in Platonis AMATORES SCHOLIA.

**D** IONYSII Grammatici ) Hoc initio philosophum & dialecticum potius quam rhetorem agens, loco proæmij longioris, dialogi occasionem proponit: in qua primum in-  
nuit philosophiæ studia non quosuis decere, sed eos maxime qui sint honesta indole præditi, & claris parentibus orti: deinde ad tam præclara philosophiæ studia nõ esse admittendos; qui Mathematicis non fuerint quodammodo initiati.

**D** IONYSII) Huius initio meminit Plato, quoniã ille est à quo Grammaticas præceptiones & poeticam edoctus est: apud quem cum esset decertaturus de tragædia, cum primum Socratem audiuit, ab eo defecit: unde in reliquis libris eius non solet meminisse.

**G** R A M M A T I C I ) Dum fingit Plato in ludis grammaticorum pueros figuras Geometricas describere, videtur innuere simul cum præceptionibus grammaticis, aut statim post illas, perdiscendas esse mathematicas artes.

**V** N A eorum etiam ) A philosophandi studio, & ab omni sincera disciplina alienum esse dissidium & omne genus inimicitiarum: præterea de rebus philosophicis non cum quouis sermonem conferendum. Porro numero horum familiarium existimant Platonici contineri Euclidem.

**D** E Anaxagora ) Huius philosophi, qui fuit auditor Anaximenis, meminit in Phædone Socrates, ubi iam iam mortiferum poculum bibiturus, partim eum laudat,

IN DIALOGVM PLATONIS

partim reprehendit: laudat quidem quod fateatur diuinā mentem rerum omnium causam esse, reprehendit verò quod in explicandis rerum naturalium causis nullius rei effectiōnem diuinæ menti tribuat: quæ reprehensio non omnibus iusta videri debet, quoniā, vt tradit Aristoteles 12. Methaph. Deus mouet vt finis: & primo lib. eiusdem operis testatur quæ de mente tradita sunt ab Anaxagora facile ad Veritatem traduci posse.

VEL Oenopide) Oenopidem ferunt floruisse in rebus Mathematicis tempore Anaxagora, fuisseque Archelai præceptorem, cuius hoc loco meminit Plato, vt innuat eum oportere Mathematicis esse imbutum, qui ex eius doctrina velit multum bonæ frugis percipere.

CIRCULOS describentes) Circulus propriæ est figura plana vna linea contenta, quæ circumferentia nominatur, in cuius medio est punctus, à quo omnes lineæ rectæ ad circumferentiam exeuntes inter se sunt æquales: interdum tamen sumitur pro linea circulari, quæ circumferentia appellatur, quomodo hic sumit Plato describere circulos in sphaera.

ET quasdam Sphæræ) Sphæra est solidum quoddam vna superficie contentum, à cuius centro ad circumferentiā omnes lineæ rectæ sunt inter se æquales: eam duplicem constituunt Astronomi, rectam & obliquam. Recta est eorum qui sub æquinoctiali circulo habitant, ideo sic appellata quod illis pari interuallo in medio duorum polorum positis neuter polorum altero magis eleuatur, tum etiam quia eorum horizon æquinoctialem ad angulos rectos & æquales intersectat. Sphæra autem obliqua seu decliuis est eorum qui

Ultra citráque equinoctialem habitant: ita appellata, quoniam equo interuallo in medio interstitio siti non sunt. Illis enim semper vnus polorum eleuatur, & alter depressus occultatur: in qua sphaera cernuntur illae inclinationes de quibus hic loquitur Socrates.

**C V B I T I S** innixi) Verus est ille gestus & situs eius qui serio contemplatur: quo innuit non esse dignos mathematicis aut philosophicis dissertationibus, qui a vera contemplatione sunt alieni.

**I V X T A** quem sedebam) Socrates adolescentibus plerumque assidebat, videbaturque, ut inquit Erasmus; mirari formas adolescentulorum, videbatur amare, & zelotypia tangi, quæ tamen ab eiusmodi affectibus dis Ἀλγ. πασῶν abesse expertus est Alcibiades. Cæterum (ut ipse in sua apologia testatur) quia Apollinis oraculo sapientissimus habebatur, cum omnibus versari voluit possetne in aliquo germanæ sapientiæ speciem aliquã deprehendere experiri cupiēs.

**M A G N V M** quoddam) Vir sapiens, quem nomine Socratis exprimere solet Plato, nõ existimat multum studium ponendum in re aliqua, nisi ipsa fuerit magna & pulchra. Quid autem sit pulchrum, pene vbique explicat Plato, sed maximè in Symposio & Phædro. Ubi obserua Philosophos constituere pulchrorum duo genera, vnum simpliciter & absolute dictum, quod ex seipso satis est: vbique semper, & omnino potest oblectare: qualis est Deus opt. max. Alterum secundum quid, & quadam ex parte, ad quod rapitur noster animus quadã vnionis cupiditate, cuius causa censetur quædam naturæ similitudo & sympathia manifesta vel occulta: interdum etiam priuatio.

IN DIALOGVM PLATONIS

**NUGANTVR** enim ) Hic prior *Æmulus* duntaxat *versatus in Gymnastica* fingitur *osor* & *hostis philosophiæ*: quo significat *Plato* quod à *Socrate* didicerat, *rudēs* & *imperitos ita musis esse infensos*, ut *veram germanamque philosophiam non pluris faciant quam nugas* & *deliramenta*: Cui satis consentaneum *Horatianum* illud de quodam *Argiuo*. *Poloccidistis amici.*

*Non seruastis*, ait, cui sic extorta *voluptas*  
Et *demptus per vim mentis gratissimus error*.

**DE** *sublimibus*) *Apud eruditos naturæ interpretes sublimia plerumque intelliguntur meteora*, de quibus copiosissime scripsit *Aristotelis*: hoc tamen loco videtur intelligere *Plato* quæ *Astrologi* fingunt & *imaginantur in globo cælesti*.

**PHILOSOPHANTES** garrunt) *Hinc possis agnoscere quam præclare sentiant de omni philosophia bonarum artium osores*, qui *philosophari aliud nihil esse existimant quam garrere*.

**TAM** acerbè respondes ) *Iniquum de philosophandi studio iudicium vix æquo animo ferre potest vir sapiens*.

**ASSIDEBAT** *æmulus*) *Hinc possis colligere sententiam Laërtij*, nimirum *hunc dialogum æmulorum potius quam amatorum nomine inscribendum*.

**NON** expedit tibi) *Huius æmuli sententia significat Plato ad philosophiæ studia neque excitandos neque vocandos*, qui *nec ingenij dexteritate valent*, nec *vllis musarum numinibus sunt afflati*: quale *videri potest quod scribit Aristoteles post Hesiodum de idoneo auditore scientiæ moralis*. *Simul admonet non esse audiendum crassum & im-*

peritum vulgus, cum de rebus philosophicis suscipitur institutio.

*AN non vides*) Paucis perstringit quæ à vera philosophia rectâque ratione animum penitus auocant.

*ETSaturitate*) Ut salubrium consiliorum parens est sobrietas, ita honestorum studiorum inimica saturitas.

*ATQVE somnolentia*) Quibus vel ex naturali complexione, vel ex proprio vitio inest somnolentia, non solent esse admodum ingeniosi: suntque ad contemplandum satii inepti: proinde eos à philosophia reiicit Plato.

*VNIVERSAM etatem*) Si in prima & florenti etate nullis disciplinis animum excolueris, vix in postrema eum ad contemplandum idoneum habebis.

*IN musica*) Has duas artes pene ubique coniungit Plato, de quibus vide nostra scholia in *Timæum*. Ceterum non potest quis in *Musica* feliciter versari, qui *Arithmetica* non degustarit: innuit itaque *Socrates* adolescentem mathematicum, & proinde ad philosophiâ magis idoneum.

*VIDETVR QVE mihi*) Id diligentius obseruabant veteres philosophi, vt si quando nacti essent ingenium hebes, & alienum à musis, illud ad artes operarias relegarent: Innuit autem *Plato* quod *fusus* docuit 2. libro de *republica*. vnumquemque debere eam artem tractare, quam nouit: ac certe felices essent artes, si soli artifices de iis iudicarent.

*QVOD agendo potius*) Hoc loco videri potest *Plato* habere rationem diuisionis artium, atque philosophiam ab agendo seiungere, aut actionem pro effectione sumere, aut denique potissimum philosophi munus considerare, quod maxime in contemplando cernitur: vnde *Pythagoras* philosopho

IN DIALOGVM PLATONIS

phum appellat mundi spectatorem, existimans eum non ob aliud in hoc mundi theatrum produisse, quàm ut naturas rerum ac mores hominum contempleretur.

VT siquam possem ) Philosophicam modestiam & philosophicæ disputationis finem exprimit: unde poteris agnoscere discrimen inter Philosophum & Sophistam, quod apertè tradidit Aristoteles. Caterum non intelligas verisimilem illam utilitatem ab honestate seiunctam, quæ, ut tradit Cic. 3. officiorum, est omnium scelerum mater.

VTRVM Videatur ) Attingit præcipuum statum atque scopum totius dialogi, ubi iuxta ordinem questionum analyticarum, quia omnis quæ de re aliqua simplici suscipitur institutio debet à definitione proficisci, pro quæstionis explicatione, id est ut intelligat philosophiæ candidatus sitne pulchrum & bonum philosophari, multis definitionibus examinat quid sit philosophia. unde potest colligi quid & quale sit philosophari.

MISSE ea quæ) Rerum philosophicarum, si à viro sapiente tractentur, tanta est vis, ut à quolibet alio studio & negotio hominem sciendi cupidum in sui amorems alliciant.

AC amatoribus) Intelligit reliquos adolescentes, quos non abs re amatores appellat, quoniam ut ait Erasmus, nec affinitas, nec vlla sanguinis propinquitas arctioribus aut firmitioribus amicitiaë vinculis astringit animos, quàm honestorum studiorum societas.

OPSTVPVI) De causis, natura, & generatione stuporis copiose disputat Galenus initio secundi libri de affectuum locorum notitia. Eum 4. topicorum vocat Ari-

stoteles admirationem superabundantem, vultque 2.  
Ethicorum verecundia per excessum repugnare. Annonnullis  
solet definiri species admirationis ex magnitudine miraculi  
proueniens: adeo vt causa peruestigatione impediatur sensus.  
Vnde vult innuere Socrates omnino mirandam & suspi-  
ciendam esse causam pulchritudinis.

PHILOSOPHARI turpe) Vix quisquam in-  
uenitur, qui, si vel primoribus labris philosophiae delicias at-  
tigerit, non statim iudicet pulchrum & honestum esse phi-  
losophari, quo neglecto, non videtur homo ceteris animan-  
tibus prestare.

NEQVE me hominem) Homo in schola Platonis  
est animus corpore vtens, cuius verum ornamentum, sum-  
maque perfectio & pulchritudo est philosophia & virtus,  
de quibus in nostris scholiis in Phaedonem plura diximus.  
Vnde negabat Diogenes quemquam ex numero imperite  
multitudinis dignum nomine hominis.

AN pulchrum) In phaedone per diuisionem explicat  
pulchri naturam, asserens eius duo esse genera, vnum quod  
per se est idem, & sui semper simile, quod καλόν dicitur:  
alterum huius participatione non per se, sed quatenus habet  
quicquam simile primo, estque eius quaedam imago. Cic. 4.  
Tusculana animi pulchritudinem definit opinionum iudi-  
ciorumque aequalitatem & constantiam cum firmitate  
quadam & stabilitate, quae aut virtutem subsequitur, aut  
virtutis vim ipsam continet.

NI SI prius quid) Paucis attingit ordinem quæstio-  
num analyticarum, quas tradit Aristoteles initio secundi  
libri de demonstratione: quem seruandum censent Rhetores,

IN DIALOGVM PLATONIS

qui de statu & questione præceptiones tradunt. Ex quo loco fortasse etiam Cicero deprompsit quod primo officiorum tradit, Omnem, quæ de re aliqua suscipitur, institutionem debere à definitione proficisci.

DICEBAT enim alicubi) Hac de re in Catone maiore, ita scribit Cicero. Quid quod etiam addiscunt aliquid, ut Solonem in versibus gloriãtem vidimus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dicit.

ET mihi quidem videtur) Quid plerique ante Socratem existimarint esse philosophari, nimirum semper aliquid addiscere, quod & nomen significare videtur: qui enim amore sciendi flagrat, libenter perpetuo aliquid discit: unde Plato lib. 2. de repub. φιλόσοφον καὶ πολυμαθέσιν eundem esse existimat: eius verba sic habent, Porro discendi studiosus & philosophus idem.

ATQVE is primo) Probabiles definitiones, quædam etiam sophistica, superficie tenus consideranti solent videri alicuius momenti, cum tamen rei naturam non attingant.

EXISTIMAS inquam) Confutaturus primam philosophiæ definitionem, primo loco assumit quod cæteris artibus cum philosophia est commune.

ET bonum inquit) Aristoteles primo Ethicorum & Plotinus libro de primo bono definiunt bonum quod omnia expetunt, & ad quod vniuersa referuntur: longe apertius & copiosius idem explicatur 6. capite lib. primi Rhetoricorum ad Theodectem, ubi Aristoteles ipsius boni septemdecim elementa & velut definitiones, quasdam angustiores, quasdam latius patentes constituit.



ADVERSUS hunc ) Hinc possis deprehendere emulationem quendam fuisse inter illos adolescentes quibuscum hanc de philosophandi ratione questionē tractasse fingitur Socrates: atque inde agnoscere illam inscriptionem, quam probat Laërtius. Poteris præterea notare dialogi artificium: est enim interdum Varietas interserenda ad demulcendum.

ET pulchrum & bonum) Tertio capite 13. Metaph. traditur discrimen inter bonum & pulchrum, quod illud semper in operatione, hoc verò etiam in immobilibus spectetur. sed bonum est homonymon & à philosophis varie usurpatum. Stoici enim idem censent pulchrum & bonum,

IN Gymnasio) Galenus libro 2. de tuenda sanitate Gymnasium definit locum in publica aliqua Urbis regione extructum, quo Ungendi, fricandi, luctaturi, discum iacturi, aut tale quippiam facturi confluunt.

GYMNASTICÆ studium) Vt tradit Aristoteles primo capite quarti libri Politicorum, Gymnasticæ, id est eius artis quæ corpora exercet in campo, munus proprium est, considerare qualis exercitatio, quali corpori cõueniat, & quæ sit optima: quæ videlicet corpori optime disposito conuenit: eam Plutarchus libro de educandis liberis vult consentire cum medicina, quod utranque humana industria excogitarit ad corporis curam, differre tamen, quod altera sanitatem, altera bonam corporis habitudinem propositam habeat. Dialogo sexto de legibus Gymnasticam duplicem constituit Plato, vnam saltationis, alteram luctationis.

ET maxime quidem) Existimat hic adolescens singu-

IN DIALOGVM PLATONIS

las artes more philosophiæ esse definiendas: Exempli gratia sicut philosophari est multa discere, ita Gymnastica propriū sic multum laborem subire.

**VT** eorum corpora) Finis Gymnastica bona habitudo corporis, moderata exercitatione acquisita, cui consentit Galenus ad Trasibulum asserens Gymnasticam esse cuius finis est bonus habitus.

**MULTI** labores) Galenus libro 4. in Aphorismos Hippocratis admonet laborem significare vehementem motum, dolorem, & lesionem: prima significatione hoc loco sumitur.

**ET** multis potius) Sectione trigesima, problemate decimo nono, ita scribit Aristoteles: Corpora nostra cum vehementer laborant, deterius habent, cum mediocriter, optime afficiuntur. cui consentiunt verba Galeni libro primo de tuenda sanitate: modum vero in labore excessisse omnino alienum est.

**NE** MPE ex moderatis) In singulis artibus non quod summum est, sed quod temperatum & mediocre, laudatur: igitur etiam in philosophia: & proinde philosophari non est semper aliquid discere. antecedens demonstrat Socrates longa inductione. Caterum videri potest hic Plato tacite vituperare Gymnasticam illam, qua instituuntur Athleta, quam Hippocrates & Galenus flagitiosam appellant.

**EX** paucis) Nimum tenuis labor ad expellendam excrementorum copiam non habet satis virium: proinde malum corporis habitum gignit.

**NON** insomnem) Confirmatio est mediocritatis ab

*incommodis qua excessu gignuntur.*

*QVID tu) Redit ad æmulum, quem in aduersarij confessionem artificiose pertrahit, simulque alium locum intraserit, quo utriusque adolescentis æmulationem declarat.*

*VERVM tecum) Attingit adolescentis modestiam in perdiscenda philosophia, cui videtur consentire communis sententia. Oportet discipulum esse credulum.*

*CIBI autem) Subiungit alias inductionis partes in iis qua ad corpus pertinent, à quibus tandem ad animum traducitur, concluditque philosophiam non esse polymathiã, quoniam disciplinas moderatas esse oportet.*

*RELIQVA omnia) In populariũ morborum sexto volumine ita scribit Hippocrates, labor, cibus, potio, somnus, Venus, Omnia mediocria. quem locũ explicat Galenus lib. 2. de tuenda sanitate.*

*CVM moderata) Vt in corpore omnis bona habitudo temperiem & moderationem requirit: ita omnis animi laudabilis habitus.*

*DISCIPLINÆ autem) Hic in prima figura ratiocinationem integram agnosce. Quæcunque animo conducunt, sunt moderata: omnes disciplinae animo conducunt: omnes igitur sunt moderatae.*

*EX disciplinis igitur) Hanc disciplinarum moderationem probe agnoscit & explicat Cicero primo libro officiorum cap. de prudentia, ubi pulchre admonet in naturali cognitionis & scientiæ cupiditate duo vitia esse vitanda: vnũ ne incognita pro incognitis habeamus, alterum ne nimis magnum studium multamque operam in res obscuras & difficiles minimèque necessarias conferamus: idem tradunt*

IN DIALOGVM PLATONIS

philosophi morales omnem virtutem quæ aut more aut ratione perficitur, in quadam mediocritate spectari.

**QVALES** sunt labores) Inductio est Rhetorica ab vno singulari ad alterum concludendum. Si medicus tum cibos tum labores moderatos ediscit vtilis ad tuendam sanitatem, philosophus disciplinas moderatas ad animi ornatum maxime conducentes ediscere debet.

**TRES** conuenimus) Vt fusissime declarauimus in nostris scholiis in Timæum, Plato magna ex parte Pythagoricus, triadem seu numerum ternarium semper magni fecit.

**MEDICVM** videlicet) Hos duos artifices duasque disciplinas coniungit etiam in Gorgia: vna, inquit, cum sit corporis curatio duas habet partes, Gymnasticam vnam, Medicatricem alteram.

**VEL** pædotribam) Galenus ad Trasylbulum ita scribit, Apud Platonem Gymnasticæ nomen frequenter reperire non licet, sed pædotribam magis, quam Gymnasticum huius artis professorem appellat. Caterum παιδοτριβης Graecis dicitur qui in corporis exercitio pueris proficitur.

**QVEMNA** A merito) Inductionis obliqua est conclusio Socrati satis familiaris, neminem potius quam philosophum consulendum esse, quæ & quales discipline sint perdiscendæ, & quam longe in illis progrediendum.

**AB** iis adolescentibus) Artificiose hoc interserit, vt non solum duorum Aemulorum quibuscum disputat Socrates, sed etiam reliquorum amatorum consensum habeat.

**PROCOS** inducit) Libro vigesimo primo Odyssæ Procos inducit Homerus indignantes Ulysssem hospitem arcum tendere, quem cum extēdisset, vehementer doluerūs.

Ceterum Proci, qui Græcis *μυνησῖγες* appellantur, proprie illi sunt, qui nimia appetentia in eandem libidinem conspirant. de quibus quæ ex Appione Alexandrino & ex Ctesone Ithacense didici, libet ascribere. Octo supra centum erant Proci Penelopes, qui ante eius fores animum taxillis oblectabant, & calculos disponebant inter se contrarios pares paribus toto numero quot ipsi erant opposites, atque sic quinquaginta & quatuor utrinque statuebantur: spatium quod in medio erat, vacuum relinquebatur, in quo postea alium calculum ponebant, quem appellabant Penelopem, hanc scopum faciebant, nitebanturque suis eam calculis attingere. Si quis verò reliquis intactis eam sepius consequeretur, victor erat, iubebaturque multam spem habere de coniugio cum Penelope: unde Eurymachus sepius tali victoria potitus, maxime omnium Penelopes coniugium sperabat. Verum illi omnes ob delicias adeo teneras manus habebant, ut ne arcum quidem intendere possent, & tamen egreferebant Ulysssem illum intendere.

**PROCOS** inducit) Proci, qui *μυνησῖγες* appellantur, proprie illi dicuntur, qui nimia appetentia in eandem libidinem conspirant.

**GRAVITER**) Hic aperte declarat Socrates duos illos *Æmulos* procis similes, & proinde instructos à Sophistis, qui nec ullam rem commode tractare possunt, neque æquo animo ab alio explicari sinunt.

**QUALIA** inquam) Satis iam confutata priori philosophiæ definitione, alteram assumit refellendam, cuius authorem Hippiam asserunt Platonici: Eam autem non dialectico, sed oratorio more longiore ornatu & ambitu cō-

IN DIALOGVM PLATONIS

plectitur, cuius ferme hic sensus est. Philosophari aliud nihil est quàm disciplinas pulcherrimas animoque maxime congruentes discere. Nam prolixior illa explicatio non ad constituendam, sed ad expoliendam & ornandam definitionem pertinet.

**SVSCIPIENS**) Hic musicus censetur sapientior, quatenus Musica est disciplina vicinior sapientiæ quam Gymnastica.

**PVLCHERRIMAS**) Aristoteles præfatione libri de mundo ad Alexandrum ita scribit: Philosophia sæpenumero visa est mihi quedam res sacra & plane diuina: Ipsa enim rerum honestissimarum intelligentia non indignam se existimauit.

**MAXIMAM gloriam**) Artificiose hoc dictum accipies: Nam hic adolescens à sophistis erat instructus, qui, ut inquit Aristoteles quarto Metaphysicæ, non sinceram veritatis cognitionem sibi proponunt, sed vel pecuniam, vel gloriam.

**AVT si minus omnium**) Hoc addit, ne videatur philosopho artes quasdam sordidas concedere, ex quibus non potest quis veram gloriam consequi.

**LIBEROS homines**) Vicesimo primo cap. 2. Rhetor. liberum hominẽ nullum asserit, quod omnis aut pecunia aut fortuna seruiat, vnde colligere licet quis sit dicendus liber.

**INTELLIGENTIÆ ratione**) Breuiter attingit illa duo genera artium quæ vulgò appellantur liberales & mechanica. Porro quæ sit ars liberalis ex contrarij definitione poteris agnoscere. Secundo capite 8. τοδὲν. vilẽ disciplinam definit Aristoteles, quæ aut corpus, aut animum, aut

mentem liberi hominis ad usum, & opera virtutis inutilem reddit: vbi etiam admonet modum in discendis liberalibus disciplinis adhibendum, habendamque rationem finis ad quem referuntur. Exempli gratia, in dialectica tanquam ad Syrenios scopulos non esse adhaerendum, cum illa ad altioris fastigij scientias sit referenda.

**S E X** minis) Mina quæ Græcis dicitur μνᾶ, ut colligere licet ex Georgio Agricola, duplex fuit olim, vna Græca quæ pēdebat drachmas cētum, altera Attica quæ constabat septuaginta drachmis. Applicatur autē tum pōderibus, tum rebus numariis: in illis significat uncias duodecim cum semisse, quas vulgō appellamus libras Turonenses septemdecim cum semi.

**ARCHITECTVM**) Dialogo qui Civilis inscribitur, asserit Plato Architectum manuum ministerio non uti, sed utentibus præsidere: Aristoteles secundo Physicorum eum seiungit ab opifice, quod formam contempletur, Opifex verò ipsam materiam.

**RARI** admodum) Videtur intelligere eum quem Aristoteles primo Metaphysicæ asserit nouisse causas rerū quæ sunt: Solet enim in singulis artibus sapientum esse magna penuria: quia non multis contingit causarum cognitio.

**IDIPSVM** se dicere) Quemadmodum Architectus in sua arte ita excellit ut omnibus opificibus quid sit agendū præscribat, ita existimat hic Musicus eum esse philosophū, qui in multis & præstantissimis disciplinis excellit.

**EVM** mox inter) Intellexit Socrates quid Hippias sophista nomine philosophiæ vellet intelligi: Eius sententiam hac potissimum ratione conatur refellere: quod sit difficilli-

limum in vna arte excellere.

**UT** liberum virum ) Octauo Politicorum admonet Aristoteles modum in disciplinis seruandum esse, & adhibendam esse rationem finis, ad quem referantur.

**OMNIA** comiectare ) Philosopho rerum omnium tractationem & cognitionem attribuit, cui satis consentanea Aristotelis sententia, qui primo Metaphysicæ varias sapientis proprietates cōmemorans inter ipsas hęc numerat, quod sapiens omnia sciat, quātum natura humana patitur.

**ELEGANTISSIMVS** ) Socrates sophistarum sententiā semper ex agitauit, quam hoc loco Plato ab ipso refellendam interserit: illi hoc sibi proponunt ut sapientissimi & elegantissimi habeantur: sunt que, inquit Aristoteles, similes rebus felle infectis quæ aureæ videntur.

**PENTATHLI** ) πένταθλος Græcis dicitur, qui in quouis genere certaminis est peritus, πένταθλος vero, qui in quinque certaminibus est versatus: nimirum Cæstu, Cursu, Saltu, Disco, & Lucta, Cæstus erat quædã certa claua pilas plumbeas loris bubulis appensas habens: Discus autem moles rotunda saxea vel plumbea talem figuram habes, qualis sol nobis apparet, quem qui altius in sublime aut longius in tractu prouiciebat, victor habebatur. Hoc ludo qui sese exercebant Græci appellabant δισκοβόλος.

**PELTASTIS** ) πέλτη Græcis significat scutū breuissimum præ se ferens formam lunæ iam semiplenæ. unde πελταστής, qui tali scuto armatus certabat.

**ATHLETARVM** ) Hoc loco videtur Plato nomine Athletarum gymnicos intelligere, nimirū luctatores, cursores, pugiles, discum iaculantes, & saltus pernicitate cōten-



ientes, habens fortasse rationem etymologiae, Nam ἀθλῆα idem est quod certo.

**T A L E** aliquid ) Quemadmodum si πέντεθλος seorsim cum singulis athletis conferatur, semper inferior habebitur, si verò cum omnibus, longe superior, quòd singuli vno tantum certamine valeant : ita & philosophus, iuxta Hippiae sententiam, in singulis disciplinis, si seorsim consideretur, secundum locum obtinet: omnibus tamen artificibus est anteponendus, quòd solus multis disciplinis sit instructus.

**N V L L I** negotio ) Aut nullus omnino, aut certe verus philosophus vera gaudet libertate, neque more opificis questui, libidini, aut alicui negotio seruire nouit.

**N E** propter vnius ) Hic locus est mendosus non satis explicans sententiam Hippiae, qui vult innuere philosophum non debere in vna disciplina tantam operam ponere, quin reliquas etiam attingat. Ita sic emendari poterit. ne propter vnius exactam diligentiam in aliis deficiat instar artificis qui in vna arte ita consenscit, vt reliquas nullo modo attingat: eum non debet imitari philosophus.

**O M N I A** mediocriter ) Tum hinc tum ex Hippocrate & Galeno quorum hac in re superius memini videri poterit deprompta planè aurea sententia, Omnia mediocria, qua maxime delectatur sapientissimus D. Nonius Regius medicus, quòd (vt opinor) ea neglecta ad bene beatèque viuendum nullus concedatur accessus, neque in singulis disciplinis quicquam laude dignum excogitari possit.

**V S Q V E** ad summum ) Hinc agnosce ineptam Hippiae sententiam, qui existimauit philosophum in nulla di-

IN DIALOGVM PLATONIS

*disciplina excellere, atque in omni superiorem habere.*

**POST hanc** ) Hippia definitionem reprehensurus initio, id assumit quod à re proposita satis remotum videtur, sed tamen accommodatum ad refellendum quod postremo loco admisit æmulus : nimirum philosophos esse medios & cuiusdem secundæ sortis homines: illi enim in nulla arte erūt vtilis quandiu aderunt qui in singulis artibus intelligentia excellunt.

**CVP IENS** planius ) Quia plane alienum est à ratione philosophum in nulla disciplina excellere: non satis assequitur Socrates Hippie sententiam . Talia enim vix unquam cogitant viri sapientes.

**NON NE** sibi ) Vis huius argumenti explicatur ab Aristotele secundo Topicorum: vbi supponit duo attributa contraria comparari cum duobus subiectis contrariis: Axioma sic habet , Si unum contrarium vni contrario conueniat , reliquum reliquo conuenire oportet.

**MALI** inutiles ) Hoc versute assumit , quo statim concludit philosophos esse malos , qui in singulis artibus sint inutiles.

**MAXIME** omnium ) Supponens Aemulus philosophum esse virum bonum , admittit eundem esse vtilem : Additque, maxime, quoniam superius asseruit eum non esse hominem , qui non putaret pulchrum esse philosophari .

**SI tu vera dicis** ) Qui quæstiones tractat quæ suæ artis limites egrediuntur , non sæpe veritatem consequitur.

**ISTI** secundæ sortis ) Hac repetitione Socrates vir

sapiens satis declarat se non posse perferre tam iniquum de philosophandi ratione iudicium: Nemo enim vel mediocriter eruditus ingenue fatebitur philosophiam esse secundæ sortis.

PHILOSOPHVM secundarium) Rursus est ironia, qua ridet imperitum iudicium eorum, qui nō primas sedes philosopho ascribunt, cōtenduntque eum aliquo artifice inferiorem.

CONFESSI vero sumus) Hæc repetitio non aliena à doctrina Pythagoræ eo pertinet, ut amulus ille ad incommodum pertrahatur: nimirum philosophum simul esse bonum & non bonum, utilem & inutilem. Nam brevis repetitio dictorum magnas habet vires ad explicandam vim confirmationis.

COACTVS est) Hinc possis agnoscere quod fatetur Aristoteles 13. Metaphysicæ Socratem summum artificem inductionum, qui possit singulis falsa demonstrare, & ad veritatem perducere illarum beneficia.

QVID ergo) Agnoscit Socrates philosophiæ definitiones à Solone & Hippiâ iam satis confutatas: cupit adolescentes ab eiusmodi erroribus ad veritatem pertrahere.

INHUMANVM) Neque vi dissertationis, neque ulla alia ratione à philosophiæ studiis est deterrendus bonæ spei adolescens.

QVICQVID lubet) Modestia discipuli in perdiscenda philosophia, qualem Aristoteles requirit primo Ethicorum: ubi vult eius discipulum esse bene moratum, aut recta præcipienti obtemperare paratum.

IN DIALOGVM PLATONIS

**DE INDE** concessimus ) Hac altera repetitione appertissimè colligitur ex præcedēte definitione quod ipsi Philosophia maxime repugnat : nimirum malos ac inutiles esse philosophos . Poterit autem hæc disputandi ratio appellari comparatio eorum quæ philosophia nomini sunt adiumenta.

**SECUNDVM** tuam ) Hoc facit ad vehementius exagitandam Hippia sententiam.

**NE QVE** philosophari ) Brevis est vtriusque definitionis reprehensio , qua quæ ipsæ complectebantur studia mechanicis hominibus potius quam philosophis attribuit.

**EXISTIMO** & absurdum ) Socrates, cuius nomine in Platonis dialogis exprimitur vir sapiens , existimat philosophica studia non spectari in illis artibus , quæ manuum ministerio opus suum conficiunt , sed quæ intelligentiæ ratione.

**SI** hoc respondeas ) Existimat Socrates hominem posse in rei cognitionem perducī , si à rebus quæ sub sensum cadunt sumatur inductio.

**QUINAM** equos ) Initium est explicationis propriæ sententiæ de quæstione proposita : ubi suo more Socrates per inductionem satis prolixam tandem aperte efficit philosophiam maxime in hoc consistere , ut quis noscat seipsum , & per boni perfecti contemplationem deprehēdat quæ recta sint.

**QVID** autem canes ) Venatio non omnino aliena est à philosophia : proinde commemorat duas artes quæ ad eam pertinent . Caterum primo de historia animalium te-

stat *Arist.* tum equos, tum canes inueniri ferinos & domesticos.

**E A D E M** ergo) Inductionis est conclusio qua efficit ex multis particularibus hanc communem sententiam: Omnibus atque singulis artibus conuenit, ut & meliores efficiant & coerceant.

**Q U I D** autem) Aliam inductionem aggreditur, qua vult efficere philosophiæ munus esse plane agnoscere quæ recta sint & quæ minus,

**E A D E M** inquit) Vix potest ars aliqua hominem in officio continere, nisi eadem discernere possit quid rectum & bonum.

**Q U A E** optimos) Vt scientia moralis & Politica homines coërcet, & bonos efficit, sic inter bonos & malos discernit: neque est opus alia disciplina, ad quam tale iudicium pertineat.

**N O N N E** quæcunque) Vnum & multa sunt eiusdem disciplinæ, & siue speciei vnum indiuiduum subsit, siue multa, maior aut minor multitudo ad disciplinæ mutationem nihil facit. Nam omnia indiuidua eiusdem speciei eadem disciplina explicantur & cognoscuntur.

**E T** in equis) Popularem inductionem repetit, ut philosophi munere probe functus facilius adolescentem male à sophistis instructum ad veritatis cognitionem adducat.

**N O N N E** iudiciaria) Dialogo de regno artem iudiciariam definit Plato, quæ considerat quid iustum & quid non iustum, atque vim legum obseruans, propria virtute adhibita, de singulis iudicat: eam autem regio domi-

IN DIALOGVM PLATONIS

natui illic Plato subiicit. Porro scientia civilis hæc sunt duo præcipua munera: optimas ferre leges, & latas diligenter obseruare. Obseruabuntur autem si boni præmiis, mali pœnis propositis ducantur.

**A N** Vocas iustitiam) Ars iudiciaria longe magis cernitur in obseruatione iustitiæ quam cuiusuis alterius virtutis. Videtur autem Socrates appellare iustitiam scientiam: quod Aristoteles reprehendit initio prioris libri magnorum moralium, & sexto Ethicorum ad Nicomachum. Ceterum Socrates iustitiam appellat philosophiam, quoniam eius ambitu continentur omnes virtutes, quæ hominum mores ac vitam instituunt.

**NONNE** qua scientia) Duo sunt vincula quibus tota ciuitas maxime retinetur, premium & pœna: illis boni à malis discernuntur, quæ etiam reperiuntur quodammodo in brutis animantibus. Nam illis duobus imperio hominis subiiciuntur. Porro hæc partim ad prudentiam, partim ad iustitiam pertinent: quæ autem sequuntur, maxime ad prudentiam & sapientiam.

**S I** ergo equus) Socrates solet satis esse frequens in inductione oratoria, cuius tota vis in similitudine cernitur, qua ex multis particularibus aliud quippiam particulare colligitur. Itaque in multis animantibus assumit id in quo cum illis homo seipsum non agnoscens conuenit. Fingit autem maiorem cognitionem inesse belluis, estque disputatio hæc ex hypothesi.

**SEIPSUM** ignorare) Hæc argumentandi ratio vim suam accipit ex contrariis: sapere & desipere sunt cõ-

traria, sicut nosse & ignorare seipsum. Itaque vnum ex altero facile colligitur. Porro qui seipsum ignorat, ut ait Socrates in Philebo, secundum tria patitur: primo secundum pecuniam, quatenus existimat se opulentiozem, deinde secundum corporis dotes, quas putat se maiores habere. Tertio secundum bona animi, quae longe plura & maiora sibi arrogat, quam re vera sint.

SEIPSUM itaque nosse) Praecipuus est scopus praecipuaque ratio totius philosophiae: ut scilicet quis seipsum agnoscat. Nam, ut scribit Cicero primo de Legibus, Philosophia cum ceteras res omnes, tum quod est difficillimum docuit, ut nosmetipsos nosceremus.

INSCRIPTIO quae in Delphis) Plato in Carmide testatur in templo Apollinis pro foribus has tres sententias inscriptas esse: Nosce teipsum, Nihil nimis, Sponsioni non deest iactura, atque primam deo, reliquas duas mortalibus tribuit. Ipsumque Deum per eiusmodi sententiam indicare hominibus temperate viuendum esse. In Alcibiade per eiusmodi sententiam innuit perfectum & absolutum hominis officium, quod in hoc consistit, ut primo naturam suam animaduertat: Deinde ab illa tanquam imagine & effectu ad diuinam mentem eius veram causam conuertatur. Nam ab illa humanus animus illustratus intelligit ipsum bonum, ipsum utile, ipsum pulchrum, ipsum iustum, quae omnia prudentiae proponuntur. Ipsa enim prudentia, ut bonum intelligit, humanas actiones tum publicas, tum priuatas ad finem optimum refert, ut ipsum utile considerat, per commoda media propriasque vias ad finem

IN DIALOGVM PLATONIS

dirigit, ut pulchrum contemplatur, quis ordo quis modus in hoc progressu quasi quodam itinere sit seruandus instituit, ut verò ipsum iustum perspicit, tum præscribit quæ distinctio singulorum operum, quæ obseruantia impositi ordinis, quod supplicium transgredientibus, & quod præmium legem obseruantibus. Verum ut compendiosius dicam, huius delphicæ sententiæ ex Platone triplex est sensus: Primus nosce teipsum, id est iusticiam & prudentiam cole: alter temperate viue: tertius naturam tuam animaduerte, & ab illa ad diuinam mentem teipsum conuerte. In quibus summa Philosophiæ perfectio consistere videtur.

**QVA** vero) Prudentia nos docet quid rectum & quid non rectum, iusticiæ autem beneficio unum prosequimur alterum refugimus.

**VIDETVR**) Iusticiæ & prudentiæ diuersa officia præscribit: vnde videri potest absurda hæc conclusio, nisi dicas eam inferri ex iis quæ prius concessa sunt, nimirum eandem esse scientiam quæ & recte cohibet, & qui boni sint melius discernit.

**NON NE** tyranni) Capite decimo octauo Ethicorum multa tradit Aristoteles de tyranno & tyrannide: Item decimo & vndecimo capitibus quinti Politicorum vbi tyrannum à Rege sciungit, quod tyrannus sibi proponat quod placet, Rex verò id quod est honestum. Præterea septimo Politicorum triplex tyranni propositum tradit: Primum ut animi ciuium minuatur, & pauca sapiant: alterum ut ciues inter se diffidentes & dissidentes reddantur. Tertium ut impotentes euadant. Videtur tamen hoc loco



Plato à regia dignitate tyrannidem non seiungere, eamque more veterum in bonam partem accipere.

HÆ itaque facultates ) Si more Arist. à dignitate regia tyrannidem seiungamus, videbitur hæc conclusio vana. Nam à prudentia & iustitia procul abest tyrannus: & qui vere tyrannus est, planè seipsum ignorat.

NONNE æconomus ) Duæ potissimum sunt societates, vna in familia, altera in ciuitate cernitur. In vtraque duo imperia spectantur: in ciuitate quidem vnum ciuile, alteram regium. Ciuile appellatur, quando is qui imperat, vicissim etiam paret ex reipublicæ, quàm gubernat, præscriptione: Regium autem, cum is qui præest non paret, quoniam legibus minimè est subiectus. In familia verò si seruos spectes, dominatus appellabitur. Sin totius familiæ administrationem, æconomia & domestica prudentia nominabitur. Qui neque genere, neque specie differre has potestates existimant, sed duntaxat multitudine & paucitate, reprehenduntur ab Aristotele primo Polit. quoniam licet forsàn omnes conueniant quantum ad communem imperandirationem, tamen propriis & specialibus officiis maximè distinguuntur.

QVI D itaque ) Ciuilem disciplinam maxime necessariam esse philosopho, atque in ea potissimum relucere vim philosophiæ hac comparatione manifestum relinquit: Si philosophus debet esse peritus earum artium, quæ nihil aut parum conducunt ad bene viuendum: quanto magis illi elaborandum esse putamus, ut ciuilem facultatem consequatur?

IN DIALOGVM PLATONIS

**N I H I L** habere ) Subtiliore Socratis disputatione  
 dictus *emulus*, oppositum eius quod superius asseruerat, fa-  
 tetur, nimirum in Philosopho multa inesse, quibus possit aliis  
 prodesse, & aliis prælucere.

**V T R V M** igitur ) Rursus apertius reprehendit com-  
 parationem illius philosophi cum *Pentathlo*, ne in errore,  
 quem ex *Sophistis* didicerat *Æmulus*, diutius permaneat.

**O M N I A** castigare ) In ipsa *Oeconomia* quæ per pa-  
 trem familias geri possunt, nulli alteri sunt committenda.  
*Primus* debet expergisci, *postremus* somno indulgere : sic  
 enim, ut inquit *Aristoteles*, familiæ integritati optime con-  
 sulitur.

**T V M** si aut *amicus* ) *Facultas* ciuilis in decernendo  
 & iudicando maxime spectatur : In quibus philosophus ma-  
 xime excellit, adeo ut Platoni non sit *Respublica* *felix*, cui  
 qui præest à philosophia est alienus.

**A B S I T** igitur ) *Conclusio* est omnino aduersa *So-*  
*lonis* & *Hippiæ* sententiæ : unde initio admonuimus hunc  
 dialogum maxime comparatum esse ad reprehensionem.

**E T** ceteri omnes ) Hic dialogi finis Platoni & *Cice-*  
*roni* est maxime familiaris : nimirum cum applausu, appro-  
 batione & collaudatione. Faxit *Deus* qui semper est, ut &  
 nostros labores & tua studia ceteri omnes probent.

F I N I S.

re Socrati disputatio  
ad superius a Socrate  
a Socrate quodammodo

perius referenda

est ad hunc, ut in

his, aliam perma-

Decembris quae per

si sunt committenda

sonis modis per se

gratias optime con-

ditis detrimendo

dehinc quibusda-

blis saltem

omni dicitur

invenitur nec

epitaphium.

Platonis ex lib-

o apud hunc app-

ferentur ad hunc

prodesse.

Ar

qua

na